



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Veritates Christianæ Qvæ Modvm Exhibent Benè Vivendi Et Benè Moriendi

Balde, Hendrik

Ipris, 1689

73. Cap. Eodem opere peccatoribus, & Fidelium Defunctorum animabus
opitulari possumus.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56447](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56447)

cissimus est modus, ut ubique Dei nomen
Sanctificetur, ejusque regnum adveniat.

CAPVT LXXIII.

*Eodem opere peccatoribus & Fidelium Defun-
ctorum animabus opitulari possumus.*

Bonum ac imprimis laudabile est, ab-
stinentiæ, vigilijs, orationibus se dare,
rem divinam ad aram offerre pro impetran-
da peccatorum conversione, præsertim
eorum, qui per universum orbem in ago-
ne luctantur, non sine gravi æternæ dam-
nationis periculo; siquidem extremâ ur-
gente necessitate, extrema atque effica-
cissima sunt adhibenda remedia.

Sed longè melius est ac laudabilius,
ijsdem illis operibus etiam animas flam-
mis piacularibus detentas adjuvare; nam
hæc duo rectè fructuoseque semper con-
jungi queunt.

Cuilibet hominis justî bono operi vis
inest promerendi, satisfaciendi & impe-
trandi.

Operum nostrorum meritum, id est,
gratiæ, gloriæque incrementum in alios
derivare, Deo sic volente, neutiquam
valemus; id enim non fieret, nisi cum

detrimento per omnem aternitatem non reparando

Satisfactionis & impetrationis diversa est ratio: illam alijs impertiri, atque adeo pro aliorum possumus satisfacere peccatis; possumus etiam, ut nobis ipsis, ita & alijs quidpiam impetrare.

Satisfactio nostrorum bonorum operum fidelium defunctorum animabus, se ipsas iuvandi potestate destitutis, prodesse potest; attamen non prævaricatoribus, quamdiu in statu noxæ mortiferæ versantur. Vbi enim remanet culpa, illic non tollitur pæna.

Impetratio applicari valet peccantibus, qui omnem de se ipsis abjecere curam, quique interim ad inchoandam conversionem suam divino indigent auxilio, quò se reddunt indignos ob infelicissimum statum, in quò delitescunt.

Hoc igitur est ingeniosum amoris inventum, ut ex bonis nostris operibus nihil amittatur eorum, quæ & vivis prodesse possunt, & defunctis.

Illi ergò sapiunt, qui, dum cibo se abstinent, stipem erogant, aliamve bonam inchoant actionem, hanc ei præfigunt intentionem.

Mi Deus! tuâ causâ, tuique amore opus
istud

istud aggrediar, pro impetranda peccantium conversione, vel ut iste mihi probè notus tandem aliquandò ad frugem redeat, vel ut iste hæreticus orthodoxam fidem amplectatur, mihi que obtineam perfectam castitatem, obedientiam, animi demissionem, &c.

Operis hujus satisfactionem impertior animabus in igne purgatorio detentis, vel illi animæ, cui maximè sum obstrictus, &c.

Hoc longè præstat? quemadmodum enim melius est eodem fune duobus naufragis opem ferre, quàm uni soli; ita longè consultissimùm est, eodem opere juvare & peccantes, & defunctorum animas, quàm vel has solùm, vel solùm illos.

Hac viâ nunquam vel minima particula bonæ tuæ actionis peribit: merita tua insuper erunt multò copiosiora; quia proficiuntur à majori charitate, illâ scilicet, quæ & ad animas fidelium defunctorum, & ad prævaricatores etiam se extendit.

Zelus animarum universos complectitur & vivos & mortuos, quibus ex commiseratione succurrere, præter multa alia ingentia bona, felicem parit & longævam vitam: animæ enim ope nostrâ in Cælum

perductæ id à Deo sæpenumerò impetrant, ut hoc modo plura quotidie bona opera accumulemus, utque diu quæ vivis, quæ defunctis simus auxilio.

Si amas te, proximum dilige, inquit S. Eucherius (a) quia nihil magis commodis tuis dabis, quàm quod contuleris alienis.

CAPVT LXXIV.

DE PERFECTIO NE.

Magnæ felicitatis est in eo statu vivere, in quo nonnumquam una alterave suppetit hora, ut de Deo, deque animæ nostræ salute accuratiùs cogitemus.

Si gratiæ, quas modò tibi imperit Deus, concederentur damnatis, tanto fervore illum hi diligerent, ut omnibus se peccatis, & peccatorum panis essent exempturi. Gentes etiam immanitate barbaræ vitium unum aliquod quotidie extirparent, assiduùque in fervore caperent incrementum, atque in virtutum studio mirabiliter proficerent, nec non ad summam pervenirent Sanctitatem, si tempus, Dei cognitio, crebræque mentis illuminationes, aliavè adminicula illis suppeditarentur, quæ à Divinâ manu tam

(a) *De verâ Sapientiâ.*